



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

9. Innocentiæ partes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

rum conseruatione, & ipforum amissionem timere. Augustinus ad religiosos. Quanto frequentiores orationes habetis, tanto sanctiores esse debetis. Idem intelligendum est de aliis operibus eorum, ad quæ multum valet innocentia, vt prius ostensum est. Innocentia multum grata est Deo: & multum utilis homini. Augustinus. Nihil Deo dignius vel charius esse potest, quàm vt innocentia tota obseruatione teneatur. Licet enim quis in aliis operibus deuotus appareat, si illam non habuerit, sibi frustra blanditur. Anselmus. Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò vni eorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quàm in peccatum. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm forde pollutus cœlorum regna tenere: cum constet solos malos in inferno torqueri, & solos bonos in cœli beatitudine foueri.

*In 3. regul.
cap. 38.*

De partibus innocentia.

CAPVT IX.

ET notandum est quatuor partes innocentia esse. Prima pertinet ad id quod est supra nos, scilicet Deum. Secunda ad nos. Tertia ad id quod est iuxta nos, scilicet proximum. Quarta ad id quod est infra nos, scilicet temporalia bona. Qui primam partem innocentia habet, cauet ne Deo noceat vel Dei gloriam sibi vsurpando, vel eam lædendo vel diminuendo. Qui secundam partem habet, seruat suam conscientiam mundam. Qui tertiam partem habet, ser-

R 3

uat

uat famam bonam: ne exemplo suo malo noceat proximo. Qui quartam partem habet, abusionem bonorum temporalium cauet. Hæ quatuor partes innocentia sunt quasi quatuor latera claustris spiritualis: intra quæ spiritus bene ordinatus deambulat: secundum illud Psal. Perambulabam in innocentia cordis mei. Pratum verò amænissimum est conscientia sacris meditationibus intentissima: cœlestibus desideriis fragantissima, vbi velut lilia candent affectiones castitatis: velut rosæ rubent affectiones patientia & pietatis: patientia rubore proprio: pietatis alieno: vbi velut violæ redolent affectiones humilitatis. In medio spes velut laurus, perpetuum virorum præstat & vmbraculum. Vbi non deest aqua cœlestis doctrina, vnde est viriditas, secundum illud. Eccles. 40. Super omnem aquam viriditas ad oram fluminis.

De nocementis quæ mali inferunt bonis.

CAPVT X.

ID notandum quòd in religione mali multis modis nocent bonis. Quantum ad bona temporalia, nocent eis superfluè circa se ea exponendo: vel his quibus danda non erant, ea dando. Nocentes primo modo similes sunt usurariis: qui volunt esse socij in lucro, & non in damno. Minus enim cæteris volunt laborare: plus cæteris consolationis habere. Exemplum secundi nocementi habemus in Iuda proditore, qui fur erat, & loculos habens, quæ mittebantur, portabat. Quæ danda erant pauperibus: dabat vxori suæ & filiis. Satis deberet sufficere ad

Joan. 12.

com.